...iscus.

Arteński Raph. Casim. Vindex elegus.



VINDEX ELEGVS.

PIISSIMIS MANIBVS

Clarißimi olim & Excellentißimi Domini,

D. M. FRANCISCI ROLINSKI,

Philosophiæ & Medicinæ Doctoris, ac Professoris

CONSVLIS CRACOVIENSIS,

Virtute, Prudentiâ, eruditione, summè conspicui Viri,

DVM

IN ECCLESIA COLLEGIATA SS. OMNIVM iusta ei, funebri apparatu, magno cum dolore omnium, persoluerentur,

ad conseruandam Nominis & Meritorum eius memoriam,

A

M. RAPHAELE CASIMIRO ARTENSKI, Lovicien. *Nouoduorsciano Rhetorices Professore, Contubernij Philosophorum Seniore,*



LVCI PVBLICÆ

CONSECRATVS.

Anno Domini, 1674. Die 17. Iulij.

CRACOVIÆ, Typis Vniuersitatis.

EXCELLENTISS: AC DOCTISSIMO DOMINO,

D. FRANCISCO ROLINSKI,

Artium Magiſtro & Philoſophiæ Doctori,

Clariſſimi olim & Excellentiſſimi Domini,

D. M. FRANCISCI ROLINSKI

Philoſophiæ & Medicinæ Doctoris ac Profeſsoris, Conſulis Cracouienſis, Filio cariſsimo.

S. P.

*INDEX famæ perennis, atq; tam ingenti meritorum Virtutumq; multitudine, Magni Parentis Tui* Excellentiſſime ac Doctiſſime Domine, *partam nominis celebritatem, Elegus hic meus, ad ſempiternam apud poſteros memoriam promouens, tantò conuenientiùs in conſpectum Tuum venit, quantò iniuſtius reperiretur, digniſsima pectoris decora ſileri. Quamuis enim ſola ſepulchri neſcia ſit Virtus, & vis innata quædam benè geſtis quibusuis apud rerum æſtimatores, digna eleuari, digna erigi, digna vigere in hominum recordatione iudicetur, quamuis grauiſſima venerandaq; canities piè Defuncti, propter ſuam in omnes propenſionem, in omnium perennet animis, omninò tamen fateri opus eſt, Te vindicem claritatis paternæ futurum. Dùm in florentiſſimo ætatis Tuæ delicio, præclaris ingenij dotibus, ea omnia, quibus, in eruditione ſolida, in conſumata ſapientia, in Virtutum compendio, quiq; clariſſimi Viri, ad ſummum gloriæ peruenere culmen & Philoſophicis, & Oratorijs, integrè ſedulum deuouendo pectus exercitationibus, continuò adiungis. Quæ inclyta tui animi decora, ſpem haud dubiam faciunt, Te, cùm Paternis inſiſtas Veſtigijs, non tantùm Virtutum & vitæ laudabilis recordationem, ſed etiam viuam eius in Te imaginem expreſſurum. Accipies ergò Vindicem hunc Elegum eâ gratiâ, quâ paternum decus debet apud Te eſſe gratiſſimum. illumq; tanti Parentis Filio dignum eſſe cenſebis, vt poſthuma ſæcula agnoſcant, Te eximia indole, & Virtutum Paternarum imitatione, nomen eius immortale ab obliuione Vindicaſſe.*

VINDEX ELEGVS.

HEV nimis afflicto, non quidquam flexa dolentum
Corde, nec á furijs trux Libitina tuis
Paſta manens vnquam! luctu nec mitior inde,
Quamuis vna habeat funera mille dies!
Non adeò noſtræ, ceſſant maduiſſe tepenti
Imbre genæ, tractu quem pluit hora breui.
Roſtra truci nobis, properas inuadere roſtro,
Ah nimiùmque frequens vis tua falce nocet!
Cæca ruis quando, ruat vt præclara Medentûm,
Quæ modò ſæuitiam paſſa propago tuam.
Doctorum violenta caput ſublime tuliſti;
Hâc magnum rurſus tollis ab arte caput,
Et Phœnice Viros, Doctores luce ROLINSKI
Exſpolias, Vrbem Conſule, ſpeque ſimul.
Hinc animos ſternis mœrore, nouumq; priori,
Non benè compacto vulnere, vulnus alis.
Et quia nunc damnum non parcens Parca relinquis,
Vis & ad inſontes conglomerare mala.
Triſtia diffundis leſſu per membra liquenti
Tædia, quæ ſemper fine carere puto.
Ilicet antidoti ſalubris dolor abnuit vſum,
Quem ciet extincti vis & amoris alit.
Sed tamen auſculta, feretro quæ allidere tantùm.
Scis, caſu triſtes, vt crucientur eo.

Alli-

Allisum gestis viuendi fine teneri,
Tristitiæ viuos obsidione premi.
Triste (fatemur enim) gemuisse sub ictibus hisce,
Est nobis, tantos cordoliumq; mori.
Atque Viri meritæ, quoniam mærente perennant
Virtutes, ideò pectore nulla manent
Gaudia; sed veluti duro cùm verbere fixa
Cerua luco, patiens vulneris ima, volat.
Mens gemebunda graui Doctoris saucia morte,
Flensq; cupressiferum permeat illa nemus.
Ingeminatq; : mihi fudit qui balsama quondam,
Nunc abit, & miseræ nigra cupressus erit.
Ergò putas nobis demi solatia cuncta
Et lachrymis, penitùs iam perijsse Virum.
Te, iactasque ferox, adeò spoliasse trophæis,
Restet vt hûic vitæ, trux Libitina, nihil.
Falleris. aut vitæ sublato ianua nunc es,
Aut meriti capies, corpore pasta, nihil.
Viuit is, & melius, cælo gratissimus, atque
Clarus in Orbe, proin fama perennis ei.
Nam lachrymæ facient illam durare, piorum
Aonijs, doctæ Pimpleidesq; metris,
Ornat eum pietas, olim quam Pallas habebat
Auxilium, summis dotibus ingenij.
Peruigiles adeò cinxit solenniter illi,
Sudores, ornans Laurus Apollinea:
Posset vt è multis dici, quòd Pallas in vnum,
Omne Togatorum conglomerauit opus.
Per Cathedras dilexit eum Neleius, ore
Ambrosio, dulci nectare, sermo fluens:

Argu-

Argutè quo multa Sophis, arcana Stagyræ
Pandendo teneris, luxq; decusq; fuit.
Exactè Physices munus iam corde gerenti,
Et benè callenti, quod Zephyritis habet,
Artis Pæoniæ perfectè gratia fauit,
Suasit & Hesperijs, clarius esse, locis.
Inde fuit Latij tanto dilectus amore,
Doctorum gremio clarus & ille Pado.
Vt Podalyrius antiquis, licèt omne tulisset
Ingenij specimen, quando iuuabat ope:
Phyllirides Chiron, Amithaoniusq; Melampus,
Et quamuis celebres semper in orbe forent:
Ponè sequi tamen hi mallent, ex ordine, summum
Hunc agnoscentes ordinis esse caput.
Emensus lustrum tandem, gratissima nostris
Portio dum redijt mox, laribusque decus:
Galenus Lechi Medicorum in honore recenti,
Susceptum properè sede lubensq; locat:
Inq; Togatorum numero gaudente recenset,
Consulis augustæ nomen & Vrbis habet.
Sic dum iam desiderium completur, vt ista
Auge sit is, populi commoditatis amor;
Galeni Cathedræ iubar, hanc aspeximus ipsi
Caniciem, Cracijs auxiliumq; malis.
Iuris vtramq; adeo medijs stabiliuit, vt illa
Solus debuerit subdere Consus ei.
Nobile pignus enim, regalia Sceptra gubernans,
Magno Rectoris nomine digna suo:
Inclyta Parnassi toties defendit, & omni
Iura salutifero munere, rexit amans.

Quis

Quis numerâsse vices? quibus electumq; Senatum
    Ornans, in misera plebe leuabat onus.
Plenus ab inde Megistanumq; fauoribus auctus,
    Carus erat cunctis ex probitate sua.
Regibus illius prudentia nota, fidesque,
    Mente simul virtus in sapiente manens.
Quis mage contendit famæ tot passibus? & quis
    Sydereum meliùs scandere posset iter?
Est dolor, est fateor, penetratq; medullitùs omnes,
    Queîs frugi meritis desijt esse suis.
Ast opus & fatis pariter concedere quidquam,
    Tristibus vt cogit collacrymare dolor.
Gemma virûm tandem cælo quòd Viuat, ouantes
    Esse decet; miseris commoda flendo mori.
Dente nec insultes Lachesis truculenta minaci,
    Amplius & nunquam te nocuisse crepes.
Nam licet occubuit, licet est in puluere flos hic,
    Actibus egregijs semper vbiq; viret:
Quos probitate sua Viuorum pectore sculpsit,
    Finis vt hic, Vitæ semper origo foret.





